

CENSIO

FRANCISCO SOFIA  
Neapoli, MCMXX,  
« Alpis », via S. Se-  
pell. 10.

» optime notus  
na, in certamine  
na laude ornata  
nismate, in hoc  
fuerunt. En eo  
trica, Petronius,  
rustica, Vitus,  
Pascoli, Pax na-  
ck his Sepulcrum  
emium consecu-  
ornata fuit horna  
ni Tibulli dies ».  
en serius Amste-  
libro inseri po-

minis latini, in-  
alica, plerumque  
quo e dupli-  
etae in utraque  
ilitas atque ele-  
um, auctor etiam  
s non unius ge-  
tornatos. - Vo-  
ur auctoris effi-  
charta admodum


intentia, lectu iu-  
is omnibus qui  
emque optimum  
qui in discenda  
iosiores sese de-

F. X. R.


Sponsor.

S VATICANIS.

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

**Sedes aliae:** In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietranelgi - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto Santa - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Roma - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Volterra.

**Apud Italicas colonias:** Bengasi - Tripoli.

**Apud exteras gentes:** Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Man-

sourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha,

Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth,

Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio

- Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quo<sup>d</sup> sequitur:

**JOSEPHI FORNARI Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

**JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

**HERMINII IACOBELLI In campo latitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xylinâ structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1,50.

Pretium annua  
pro Hispani  
nalis et Ca  
ante solver  
Governo V

DE COMM  
ELOC

Quaestio  
agitari, eam  
bens, in ips  
alacer ille s  
sese abscon  
operae esse  
spicere.

Et sane  
leges duae  
quibus regi  
rum popul  
omnia trah  
hat, atque  
singula mi  
tatis huma  
cumagunt  
Altera eni  
atque cont  
propellit i  
neos amo  
illa ut suis  
communic  
nuntur ius  
admirabili

<sup>1</sup> Cfr. fas

- Arcidosso - Arezzo -  
 Bari - Bastia Umbra -  
 Bazzano - Bra - Brescia -  
 Brianza - Carloforte -  
 Fiorentino - Catania -  
 - Como - Cornigliano  
 o - Fermo - Fiesole -  
 Marmi - Fossano - Fra-  
 Gubbio - Intra - Ivrea  
 Marina - Merano - Mer-  
 campietrangi - Monte  
 Norcia - Novi Ligure -  
 o - Piadena - Pietra-  
 - Portoferraio - Porto  
 ese - Rocchetta Ligure  
 Sansevero - Saronno -  
 Sicula - Tivoli - Torino  
 i - Viareggio - Viterbo

olanch, Borjas Blancas,  
 , Cairo, Port Said, Man-  
 El Cheikh, Magaghia,  
 ta - Aleppo, Beyrouth,  
 oli in Turcarum imperio

ariae sunt.

## Sociis

a venum dantur,

iae ad latina col-  
 is, *De valetudine*

dium, Milesiae  
 endis. - Singulæ

res. - Si tegu-  
 ulo, lib. 4.

Actiones drama-

bula. - Lib. 1, 50.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15  
*ante solendum rectoque tramite mittendum ad Iosephum FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☺☺☺☺☺☺☺☺☺☺☺☺

## DE COMMUNI OMNIBUS GENTIBUS ELOQUIO CONSTITUENDO

Quaestionem hanc video iterum passim agitari, eamque nuper, de *Esperanto* scribens, in ipsa nostra ALMA ROMA attigit alacer ille scriptor, qui *Subalpini* nomine sese abscondere mavult.<sup>1</sup> Premium itaque operae esse puto rem ipsam altius introspicere.

Et sane: quemadmodum astronomicae leges duae, eademque contrariae sunt, quibus regitur, agiturque et servatur astrorum populus, altera quae ad centrum omnia trahat, altera quae a centro distrahat, atque ex harum discordi concordia singula mirabiliter perseverant, ita societatis humanae duae sunt leges, quae circumagunt populos, reguntque et servant. Altera enim gentes certis cohibet limitibus atque continet, altera extra limites hosce propellit in alienos atque cogit. Illa extraneos amovet, haec in extraneos movet; illa ut suis quisque sibi vivat, haec ut sua communicet aliis. Dum autem hae disponuntur iustitia ac temperantur aequitate, admirabilis ille ordo nascitur, per quem

genus humanum totum quasi familia quae-dam exstet, cuius gentes, totidem fere fratum sororumque consortio, perennentur; unus autem omnium et Rex et Pater aeternus, Deus. Quid autem pulcrius, quid optabilius, quid iucundius ut inter hos, sicut unus est omnium Pater, una domus orbis terrarum, una felicitas est, libertas cum religione et copia rerum, et morum hone-state coniuncta, ita et unus pariter sermo sit? Communem dedit sermonem natura populis, eumque unum, quem omnes retinrent, quo utuntur omnes; omnes quippe risu gaudium, dolorem fletu, moerorem suspiriis, laetitiam exsultatione, terrorem, horrorem pallore ac tremore denuntiant. Communes pariter haec dederat sonos, quibus et singuli reliquos, et reliqui singulos intelligerent; eorum elementa ita adhuc innatant in singulis populorum sermonibus, ut facile coniici possit aedificia haec omnia, una e fodina eademque communi, habere sibi comparatos lapides certi generis, certaeque speciei.

Sed gentes, quum e parentum fratrum que contubernio exsulassent, priscae consuetudinis et consanguinitatis sunt obliatae, et morum, soli caelique diversitatem diversitas nominis, varietatem gentis varietas sermonis prona sequuta est, quasi flumen declivia.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Novembbris MCMXX.

Atque haec ut extarent, interiecta terrarum, aquarum, alpium solitudinumque, silvarumque intervalla fecerunt, dum religio, urbanitas, commerciorum necessitas, negotiandi indoles et sciendi cupiditas molit mores, vias sternit, apta navigia, vincula societatis pristinae restaurat. Adhuc autem obstabant viarum tractus, ventorum inclemencia, et ad mutua colloquia, non praeter hominis et cuiusvis ingenii vires, satis et idonea paucarum linguarum peritia habebatur. Mox, ubi vapore et electride illatis, breves omnes viae, exigua omnia intervalla facta sunt, iam non sufficit homo sermonibus descendis, qui unius anni decursu cum sexcentis diversae sermocinationis populis colloqui potest, immo cui cum sexcentis colloqui necessum sit. Inde instantior urget necessitas sermonem instaurandi, quem discere et adhibere possint omnes; isque facilis, promptus, accommodatus dicendis.

Speravit olim Gallia id suo fieri posse; nunc posse desperat. Idem Anglis, idem Germanis, at frustra, in voto. Cogitatum proinde est de novo condendo, fueruntque *Volapuk*, *Caerulea lingua* et *Mundolinguam* ut nunc est *Esperanto*: incerta et fallacia omnia. Restat latinus sermo - non enim puto esse quemquam qui Sarmaticum in medium proferat - qui certum sese exhibit, qui universalem, qui adolescentulis in scholis ubique traditur, qui ubique per ministros christiana religionis insonat, qui parvis elementis constat, et in quo plura sunt germina ab orientalibus regionibus, et a quo plura in Anglos, in Gallos, in Germanos fluxerunt. Adde quod invidiam exteræ dominationis non includat; adde quod eruditorum hominum in more iam sit; adde quod eodem plane modo et manu scribatur et proferatur ore, neque vocalibus literis iisdem modo sit hians, modo hiulcus, modo blaesus, modo asper sonus, sed semper idem sibi constet et perga qualis alphabeto traditur, qualis nota si-

gnatur; adde denique quod, parce detortis, et ad hodiernas res recensque nova inventa exprimendas aptissime accommodetur.

Non exigua haec virtus, non haec angusta eloquio et eloquii commendatio, cui si - quod P. Spina in hisce paginis proponebat<sup>1</sup> - accesserit ut cogatur eruditorum coetus qui, rerum publicarum rectoribus conspirantibus, instituat certas leges quibus idem apud omnes et ubique sermo hic pronuntiatione sonet; qui decernat ipsis ab unguiculis ubique pueros in hoc erudiendos; qui senatum in Urbe statuat vigilem super hisce ac tuentem, non longius fore credo ut Latinus sermo iam in more hominum plenior habeatur.

Quod felix, bonum faustumque sit!

SENIOR.

<sup>1</sup> Cfr. ALMAE ROMAE an. VII, pag. 80, 95, 113.

## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

Stellae fulgentes, quae saepe in HOMERI comparationibus exstant, - (Z, 295; Γ, 381 o 108) ἀστὴρ δ' ὡς ἀπέλαμπεν - apud OVIDIUM sunt (*Am.*, III, 3, 9): *Radiant ut sidus ocelli*, et (*Her.*, 19, 55): *Tu facis hoc oculique tui, quibus ignea cedunt sidera*.

Vesperum, qui apud HOMERUM est (X, 137) οἶος δ' ἀστὴρ εἴσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ ἔσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστὴρ, HORATIUS habet (*Carm.*, III, 19, 26): *Puro te similem, Telephe, vespero*.

Ad exemplar comparationis quae legitur (E, 4):

δαᾶε οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,  
ἀστέρ̄ ὄπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅτε μάλιστα  
λαμπρὸν παμφαίησιν λελουμένος Ὄκεανοῦ

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

formatae sunt (VERG., *Aen.*, VIII, 589):

*Qualis ubi Oceanus perfusus Lucifer unda,  
quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,  
extulit os sacrum caelo tenebrasque resolut*

et OVIDII (*Ex. P.*, II, 5, 50): *Surgit Iuleo  
iuvensis cognomine dignus, qualis ab Eois  
Lucifer ortus aquis*. Apud unum TIBUL-  
LUM legitur (I, 4, 20): *Annus agit certa  
lucida signa vice*.

HOMERUS quoque iam stellas cadentes in comparationibus induxerat (Δ, 75):

*οἷον δ' ἀστέρα ἥκε Κρόνου πᾶς ἀγκυλομήτεω  
ἢ ναύτησι τέρας ἢ ἐ στρατῷ εὐρεῖ λαῶν  
λαμπρόν.*

Post eum eandem exhibent imaginem, CALLIMACHUS (*h. in Del.*, 38) *Βαθὺν ἥλαιον τάφρον οὐρανόθεν, φεύγοντα Διὸς γάμον, ἀστέριον*; et THEOCRITUS (XIII, 50):

*κατήριπε δὲ μέλαν ὕδωρ  
ἀθρόος, ὃς ὅτε πυρὸς ἀτ' οὐρανοῦ ἥριπεν ἀστέριον  
ἀθρόος ἐν πόντῳ, ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταῖροις·  
κονφότερ', ὃ παῖδες ποιεῖσθ' ὅπλα· πλεύσικος  
[οὐρός].*

Quod ambo stellam sponte cadentem faciunt, tacite mihi Homero obloqui vindentur, qui Iovem induxerat stellas deicientem. Obliterata est Iovis opinio, supersticio remansit, ut luculenter demonstrat locus Theocriteus. VERG. (*Aen.*, V, 527).

*Namque volans liquidis in nubibus arsit harundo  
signavitque viam flammis tenuisque recessit  
cousumpta in ventos, cælo ceu saepe refixa  
transcurrunt crinemque voluntia sidera ducunt.*

Washietlius comparat cum APOLLONII (*Arg.*, III, 140. 1376). Idem (Ov. *Met.*, II, 321):

*At Phaeton rutilos flamma populante capillos  
volvitur in praeceps longosque per aëra tractu  
fertur, ut interdum de caelo stella sereno  
etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.*

Maxime notabiles hos versus esse dicit KNAACKIUS (*Quaestiones Phaetontaeae*. Berol., 1886) ob similem colorem qui inest Euripideis: ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπτεῖς ὅπως ἀστὴρ ἀπέσθη πνεῦμ' ἀφεῖς εἰς αἰθέρα, fr. inc. 961. Temere Phaetonti tributum ab

Hartungio (*Eur. rest.*, II. 203); hunc colorrem igitur aut Naso de suo immiscuit, aut auctor eius, qui certe Phaetontem in astra retulit.

ALEXANDER AURELI.

## In honorem et memoriam DANTIS ALLIGHERII<sup>1</sup>

SEXTO POST EIUS OBITUM SAECULO

Una voce omnes ei assenserunt; qui ad Matthaeum conversus, sic ad loquendum invitat:

« Nunc, venerande senex, magno nunc ore sonandum; et in primis dic de praesenti Italorum studio, et quomodo se se ad decorandum Alligherium accingunt ».

Tunc Mattheus noster, audientibus aliis, sic alloqui exorditur:

-- Immortalis poëta, cuius fama et celebritas usque virescit, diu *italis exercitus fatis*, diem obiit supremum, ut scitis, Ravennæ, anno millesimo tercentesimo primo et vicesimo. Ad eius sepulcrum, volventibus annis, tamquam ad amoris, obsequii gloriaeque monumentum, Itali et advenae pacem quoque aevi beati adprecaturi, frequentissimi, ex omnibus dissitis orbis civitatibus, adire in admirationis signum consueverunt. Atque adeo non modo *multaque pars eius vitavit Libitinam*, seu oblivionem, sed omnis magis in dies vivit, et vires acquirit eundo.

Omnis itaque, uno veluti agmine animorum composito, acceperunt nuncium, eique certatim omni studio adhaeserunt, solemnia praeclera indicere, et meritis iterum laudibus suum poëtam honestare. Spectant haec mea novissima verba ad Commentarium, cui est nomen: *Il sesto centenario dantesco*; qui ab hinc quatuor

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

annos, Ravennae, ab elegantioribus nonnullis viris itemque doctissimis optime concinnatus, et figuris identidem miro artificio per lithographiam exornatus, edi in vulgus coepus est. Hoc peculiari adsidue studio excitati Italorum animi fuerunt, atque ita, omnibus adclamantibus, in universas paene civitates poëta noster triumphans invehitur. Vos enim optime novistis, non modo honorem vati aequum debitum esse, sed iustum quoque atque immensam grati animi significationem adsignandam esse, quod ingenio ac virtutibus patriam maxime decoraverit. Dantes, quamquam nativitate Florentiae filius in primis est habendus, et praesidium propterea suae civitati insigne atque ornamentum, omnium tamen Italorum decus fuit, eorumque animos sublimi carmine ad gloriam incitavit, et vinculo fraterno una simul per tot saecula insigniter devinxit.

Quo nomine, tamquam omnium Italorum votum exegisset, ex monumento Florentiae in eius honorem constructo, solemniter omnibus praedicat:

*Onorate Paltissimo poeta!*

Quae vero Florentinorum cura exsuscitat etiam Italorum animos, et maiores ad rem gerendam facit. Semper enim universa Italia, vel ab antiquis temporibus peculiare suum decus in hoc unice posuit, eum uti suum colere, in scholis potissimum enarrare, maximoque in dies amore prosequi.

Verum haec nostra aetas, rebus publicis licet undique vexata quaestibusque abrepta, ad fastigium, ut ita dicam, gloriae amorisque pervenit in colendo maximo poëta. Nihil enim antehac copiosius virorum foetum edidit, qui, pluribus doctisque volumibus evulgatis, immortalem poëtam mirum in modum sint diligentius scrutati ac sapientibus animadversionibus studiosius interpretati. Ad haec, quum annus hic appropinquaret ad festum celebrandum

adsignatus, Itali, quamquam in arduis positi, (exardescerat enim immane bellum, quod tandem ad Plavem in agro Tarvisino, summa nostrarum copiarum gloria, est profligatum), nulla interposita mora, amotis insuper antiquis partium studiis et contentionibus, Dantem Alligherium commemorare et illustrare decertant. Et praeter omnium opinionem, hunc nostrum poëtarum principem, cum Itala gente, quae grata veluti materna recordatione adeo huius auspiciatissimi temporis memoriam colit, omnes sapientium Europae coetus communi gaudio gestientes, certatim honore decreverunt.

Nec sane mirum. Poëta enim noster vel ab initio, ab illa scilicet aetate, quam insciam inconsulto nonnulli appellare persequuntur, studiisque vacuam, apud omnes e contra late populos percrebuit et fama immortalitatis decoratus ad nos usque flourit.

Quo facto, universae orbis nationes, opportunitatem nactae, praeclarum Italiae yatem recolunt, et pro eius gloria et magnitudine certant, eumque sinceris laudibus cumulant. Omnes interea Ravennam petere student, ubi vates, valida adhuc aetate, et laboribus aerumnisque confectus, apud clarissimos viros, quibus nomen erat *a Polenta*, hospes suavissimus, omnibusque flebilis, placidissime vitam sollicitam finivit.

Illuc enim strenuus pacis orator se contulerat, ibique civibus carus et Dynastae maxime acceptus diu moratus est, nec tam annis quam hominum contumelias defatigatus, in caelestia unice spectans, ad aeternam beatitatem perrexit.

Ei morienti, ingemiscentibus civibus, et ipsi adversarii moerore confecti, depositis odiis, venerabundi adfuerunt, diutinam ac felicem vitam a Domino auspicaturi.

*(Ad proximum numerum).*

SUBALPINUS.

## DE SOLE

Post frigidam noctis auram et diluculum, post igneam auroram repente surgit sol, fons lucis et vitae.

Quantum inquam spectaculum, quoties ille splendidus, caeli iter ingressus, terrae infundit radios! Tum vero per totam natum novus fertur spiritus vitalis. Rorata fulgent et nitent prata, millia argenteorum luminum in tenero ardent gramine, floribus odoribus respergitur aër, suavia mela communem testantur laetitiam.

Et quantum totius mundi silentium, quum vespero globus ille igneus descendit, cuius flammis totum depingitur caelum et albae nebulae velut lemurum spiritus ascendunt.

Praeclara sunt, quae de Sole cecinerunt poëtae. Sed nos, omissis poëtis, quae de vi et natura solis statuant physici, breviter proponamus.

Constat igitur solem istum esse ex nucleo globoso gasium ferventium ac prope liquentium et ex involucri ardentium vaporum. Totius igitur globi diametrus est decies centenorum atque trecentorum octoginta trium millium ac ducentorum (1.383.200) chilometrum; circuitus est quadragies centum atque trecentorum quadraginta duorum millium ac sexcentorum viginti (4.342.620).

Quam vero longum id sit, fingas animo: Currus vaporarius si trigena septena singulaque dimidia chilometra coniceret horis singulis, totum illum ambitum absolveret quattuordecim fere annorum spatio.

Tantum autem Sol occupat spatii, ut hanc terram, quam nos incolimus, decies centies millies et ducenties octogies (1.280.000) amplecteretur. Abest Sol a terra millies et quadragies octies centena millia, centumque quinquaginta quattuor millia (148.154.000) chilometrum. Haec distantia

maxime est accommodata animantium vita terrestrium. Nam si, quantum luna abest a terra, tandem abesset Sol, lux augeatur centies sexages millies (160.000), quam claritatem nulli ferrent oculi hominum, tantumque augerentur calores, ut omnes, ex quibus haec terra compacta est, materiae diffuerent, et aquae omnes statim in fervidum abirent vaporem. Sin autem longius recederet Sol, maria brevi rigescerent in glaciem, nulla iam laborentur flumina, nullus iam per plantarum canales funderetur sucus, nullae essent plantae, nullae bestiae.

Sed nunc quanta efficiuntur Solis radii! Vim emitte lucis, qua ad vitam excitantur omnia. Quae alia lux solaris luminis aequat candorem? Porro lucis radii, ubi vel terrae crustam vel corpora in ea posita tetigerunt, in radios vertuntur calor. Tanta autem caloris copia singulis annis a Sole in terram transmittitur, quanta satis esset ad solvendam straturam glacialem terrae impositam, triginta altam metra. Postremo a Sole terrae tribuitur motio: ita planetae omnes et eorum satellites Solis mole attrahuntur, ut certissimis cogantur circumire itineribus. Et quisquam, sana qui mente est, dicet haec omnia casu repente moveri coepisse legibus mathematicis?

Secchius, astronomus clarissimus, in eo opere quod de Sole edidit: « Soli, inquit, attribuendum est, si quid movetur in plantis, si qua ibi est virium efficacitas. In terra certe radii solares aëris elaborant et aquae motiones, varia vegetationis, quae dicitur, genera, omnes illas vires, quae existunt comburendis lignis et carbonibus, et eas quae animalia efficiunt calore ex alimentis percepto.

« Aërium vero mare solarium virium machina est, licet nullos videoes vectes, nullos embolos, rotas nullas. Nam in hoc mari ingentes feruntur aurae et aquae vapores solo Solis calore acti. Sol, quod

inaequaliter calefacit aëra, facit ventos, quibus terra refrigeratur et per maria vehuntur naves. Sol, quod continuo tollit aquas in vapores transmutatas, molarum et machinarum agitat rotas.

« Remove Solem! Sustuleris vaporem, nubes, nebulas, pluviam, fontes, flumina. Iam nulla virebit arbor aut frutex, siccatitur herba: nam his omnibus opus est viribus lucentium radiorum Solis et calefacientum. Quin etiam, quidquid caloris qualibet gignitur combustione, Sol causa est. Hic enim antiquissimis terrae formandae intervallis eas maturavit plantas, quas nunc in carbones versas effodimus: hic eas plantas iam tum non aliis, quam quibus nunc legibus, cogebat carbonium ex aëre perceptum in eas mutare silvas, quae iam "milliones" annorum pressae iaceant et obrutae ».

Haec fere Secchius.

Nonne idem Sol mensor est temporum? Est vero mundi horologium, quo accuratissime indicantur horae et horarum momenta, dies et noctes, anni et anni tempora; quod horologium, quum tot annorum millibus ne scripulum quidem deflexerit, nulla unquam indiguit reparacione aut correctione.

Quantopere igitur admirabimur opificem, qui tale horologium excogitavit atque impulit, praesertim quum ad mensuram temporis adiungamus multas illas utilitates et magnas, quae a tempore omnino separantur! Profecto is summa est sapientia, summa erga nos affectus est humilitate!

Goëthus, ille poëtarum Germanicorum facile princeps, quum ad vitae venisset finem, in sermone quodam dixisse fertur: « Si quis interroget, meae ne hoc insitum sit naturae, ut Solem venerer, respondebo esse quam maxime. Hic enim Dei quidam est nuntius et quidem omnium qui a mortalibus conspiuntur et audiuntur manifestissimus. Hunc quum suspicio, gene-

rantem adoro Dei potentiam, qua sola vivimus, movemur, sumus et ipsi et animantia cetera ».

St. Wendel.

ANDREAS HABERL.

## IN ROBERTUM ARDIGÒ

MISERUM PHILOSOPHUM,  
QUI, FORTE PERSPECTA ROSA,  
SE FIDEM AMISSE  
EFFUTIVIT

### (Rosa loquitur)

*Ipsa, que florum vocor alma princeps,  
Credar aeternis inimica veris?  
Mene dum cernis, poteris, Roberte,  
Spernere Numen?  
At sile!... nunquam potui, nec unquam  
Crimen admisi; nimium superbo  
Nescis obtutu varias rosarum  
Carpere voces.  
Nil, fide dempta, nitet! inde oberras;  
Ausus et guttur petuisse ferro,  
« Quid iuvat, - clamans, - sine spe senilem  
Ducere vitam? ».*

*Me Palaestinis Sapiens in hortis  
Vidit, et pulcri cecinit Satorem;<sup>2</sup>  
Fulsit a longe assimilata flori  
Inclita Virgo.<sup>3</sup>*

*Ille quin Umber Seraphim loquelam  
Audit rerum; speciem rosarum  
Saepe miratus, nova fudit ardens  
Carmina caelo.*

*Volvitur spinis violenter idem,  
Carnis ut frangat stimulus; repente  
En rosae apparent, nitideque rident  
Cespite vivo.<sup>4</sup>*

<sup>1</sup> Inter omnes constat Robertum Ardigò, iam senem, bis sibi mortem consciscere tentasse.

<sup>2</sup> « Quasi plantatio rosae in Ierico » (*Eccles.*, 24, 18).

<sup>3</sup> « Egregie Virgo de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet ... » (*Isai.*, 11, 1).

<sup>4</sup> Dum Franciscus Assisiensis in spineto convolvitur, statim spinae in rosas efflorescunt. Idem cum floribus, praesertim cum roseis, mira colloquia interserere solebat.

*Mitte Linneum per amoena rura,  
Pone me iuxta, meditatus alta:  
« Hic adest Numen! - super aede scribit;  
Vivite puri ».<sup>1</sup>*

*Sacra quid dicor Veneri impudicae,  
Nata festivis sine fraude rebus  
Inclite ornandis, juvenilis aevi  
Reddere formas?*

*Linque me campis ubi fulget aether,  
Fundit et molles levis aura odores;  
Pone me templis, ubi Matris almae  
Splendet imago,*

*Laetor! Hic inter varias coronas,  
Lilium fulgens violasque mites,  
Dulce florere est moriensque collum  
Ponere dulce.*

Aquilae.

ANGELUS NARDIS.

<sup>1</sup> Linneus in aede, in qua flores asservabantur, scripsisse dicitur: « Innocenter vivite; Numen adest! ».

## EX ITALIS URBIBUS

Insignis scholarum cuiusque professionis concursus apud Salesianos.<sup>1</sup>

IV.

Inter fragosiores artifices in primis ponere haud dubitabo qui in ligno ferroque elaborando assiduum operam navant. Et nobis propterea princeps est obvium ligneariorum conclave. Habebimus et hinc seriem longissimam rerum.

Brevis est attamen aptusque locus. Quoniam tu aeque ac ego - sit verbo venia! - huiusc artis admodum es hospes, haud minus iuste meritoque magistrorum sapientiam laudaveris.

Adsunt in scriniis parvula opella, in quibus tiro sudavit et alsit, ut prima in-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. XII an. VII.

genii manuumque specimina expromeret. At si ista ludicra tibi exercitia videntur, et hic in tenui haud parvus est labor! Mox vero crescit artificium, et puer celerius occultae virtutis igniculos excitabit, qui paeclarum suis lumen pollicetur.

Et quisque per biennium in humilioribus operis atque laboriosis arte manebit. Hic truncum malleo scalproque caedit, ille runcina industrius rudes asseres polit, et se se ad perfectiora opera in dies exequenda exercet ... Et adsunt hinc diurni propemodum progressus, in quibus ingeniunum splendescit.

Vergilius apes describit quae

*Purpureosque metunt flores, et flumina libant  
summa leves ...*

utinam et ego obiter possim vel paucissima tangere, ut res, quas describere studeo, bene congruenterque appareant!

Biennium post, omnia si prospera evaserint, et alumnus ad superiorem cursum quodammodo enataverit, duae aperiuntur viae satis amplae; quarum altera planior et commodior dicit ad artem lignariam perficiendam, in iis quae potissimum ad domesticos usus pertinent, a mensula ad portas, a fenestris ad armaria, aliaque id genus complura; altera vero tamquam nobilior, sed magis ardua, atque, ut ita dicam, sapientior, iis potissimum reservatur, qui intelligentiori pollent ingenio et ad sublimiores artes contendere possunt.

Ne caveas tamen ingredi confidenter, namque et rudis hanc novam puerorum palaestram invisere potest.

Vides quae pretiosa opera sunt nobis proposita! Haec omnia ad exornandum conclave accommodantur novo supellectili, quod renatis artibus in Gallia a Rege Ludovico XIV nomen habuit, et quod apud Florentinos aurea aetas invexit. Sic sellae, sic scabella, sic specularia; uno verbo omnia quae sunt beatiorum aedibus decori atque ornamento.

In iis adsuescant vel tantilli pueri! Ita enim fert nostra sumptuosa aetas, quae nihil humile superba tolerat, nihilque exoptat nisi optimum.

Adsunt itaque patagiarii, flammearii, violarii carinariique!

Non omnes utique ad sublimiora adsurgunt, neque ad perfectissimum opus pervenient; erudiuntur tamen, omniaque in scholis aguntur.

Sed uti egregie poëta noster monet:

*Non opus usque quidem quit conformarier arti,  
Quod non se praestat materies docilem!<sup>1</sup>*

Antequam vero ad huiuscet artis fastigium perveniant, etiamsi ingenii vi polleant, multos adhuc salis modios consumere debent! Nec enim omne quod iubet virtus, potest homo semper arripere.

In officina mirum in modum ac celerimē complures serrae operantur, quae vi electrica actae uno temporis momento latissimos truncos secant, et argutae stridentesque opifices adiuvant.

Multi adsunt de omni re magistri, qui artem suam optime tradunt, quique ad machinas praesertim soli accedunt, ne quid periculi pueris accidat.

Hi omnes magnum studium multamque operam in pueris edocendis conferre laudabiliter consueverunt; et omnem scientiam cum alumnis sine invidia communicant.

Pleraque de lignariis quae dixi, de terrariis dicenda essent. At est agendum, quia longa via est.

Ut vidisti, ibi omnia facile traduntur, quae rarius omnino alibi simul inveniri poterunt. Pater enim, omnem movebat lapidem ut omni modo pueros iuvaret, et sua aetate fuit misericordia erga calamitosos in exemplum insignis. Et qui prae-

sunt in praesentiarum, immortalibus eius vestigiis insistentes, initia quae fecit ingenio, vi mentis in pueros feliciter explanant.

Et hīc cuncta per biennium procedunt. Alumni suppari vi atque industria in scholis ea arripiunt, quae in officinis ad rudem aut primaevam artem pertinent. Singula singulis apprime respondent, et arctiori vinculo constricta coniurant amice. Linguam italicam eamdemque gallicam edocentrum cum arithmeticā et diagraphe. Eadem manus libros omneque instrumentum in discentes erogat.

Si priore tempore veteres ferrariorū officinas trepidante animo invisere consuevimus, ob nimia atque immania pericula, nunc vero, ingredimini confidenter hospites, ite faustissimo pede. Omnia silent hīc et quam maxima te adhuc opera manent.

At ei, qui ad tertium annum pervenerit, iter duplex occurrit. Qui minori sunt ingenio parvoque laetantur, in arte sua modica sistunt; qui autem vividiori animo esse praediti videntur, in iis potissimum versantur, quae ad machinas construendas spectant. Omnis enim recentiorum vis atque potentia in re machinaria ponitur. Omnes instant, omnes petunt, omnes ad machinas contendunt. Nostris temporibus vel in pueris, qui in aevum futurum audaciori animo respiciunt, maxima est rerum humanarum sapientia, unde saepe vita, saepe gloria, immensaque opum copia in homines redundant.

Quot perfectissima opera, paucissimis olim artificibus atque experrecto ingenio vix adsueta, nunc puerorum manus alacriter, iocose prope pertractant! Vulcanus ardens omnes urit officinas... Hic ferrum ignescens fortiter plectit, ille mirabili arte idem in annulum vertit, et denique ut sericum filum intorquet. Quot ingeniorum abundantissimus foetus!

Ne mihi dicas, hospes: « Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt ». Etsi multa

restent ac memorabilia, hīc te relinquō, omnia tibi fausta precatus nomine suavissimi Patris, in quo mirus religione fuit consensus, rerum privatuarum consilium, in eodem demum requies oblectationis fuit.

I. B. FRANCESIA.

## COMMUNIA VITAE

Inter duos aut plures, qui inter se colloquantur, salute data atque redditā, compertaque valetudine, colloquium ad varia argumenta procedit; quorum primum

### De officiis

nos consideremus:

— Qui omnium, quos quidem noverim, es officiosissimus, des mihi etiam cōpiam (facultatem; licentiam; potestatem) te rogandi ut...

Qui es ad officia tam proclivis (pronus; qui es adversus omnes officiosus; qui officiose ita es affectus; qui officii et operaē studiose es largus; qui ad gratificandum es propensus; cui liberalis est omnibus bene merendi voluntas) hoc sinas te exorem, ut... — Id concede, ut... — Da mihi, quae so, veniam, ut... — Sine te exorari, (sine me hoc a te impetrare), ut.... Hoc mihi tribuas oro, ut... Hanc mihi gratiam, amabo, concede, ut liceat... — Per te mihi, amabo, liceat... — Sit apud te meis precibus locus. — Meis precibus facilem te praebas. — Ne me rogantem suppliciter a te reicias. — Noli preces meas aspernari.

R. — Atqui omnia mea officia in te constabunt. — Conferam quae in te officia potero. — A me omnia in te ornamenta libenter proficiscentur. — Nullum in te colendo (honestando; ornando) locum aut tempus consumpsero. — Quantum in me fuerit (quam potero studiosissime) te com-

pletar. — Nullum studii (officii; observantiae) genus praetermittam. — Nullam omnino rem, quae ad utilitatem tuam spectaverit, praetermittam (relinquam). — Omnia, quae quidem praestare mihi licuerit, profecta in te erunt. — Meam in te benevolentiam et voluntatem, quandocumque res tulerit, ostendam (significabo; declarabo; pateficiam; probabo). — Nullum pro te labore, nullum onus et officium recusabo — Omne meum laborem, omnem operam (curam; studium; industram) in tuis rebus ponam atque consumam. — Omnia mea in te studia conferam. — Tibi policeor ac defero officium meum et operam sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis. — Studium eximium ac singulare profiteor ac policeor tibi in omni genere officii, quod ad res tuas spectare possit. — Omnibus in rebus me tibi commodo. — Apud te officium studiumque meum defero. — Universum studium meum et benevolentiam ad te defero.

Tuus sum totus. — Mancipio et nexus tuus sum. — Tibi sum addictus (deditus). — Habes me tibi devotum addicatumque. — Omni in re libere uti mea potes opera.

Omnia mea studia (officia), omnem industram (curam; operam; diligentiam) conferam (referam; intendam) ad honorem et dignitatem tuam. — Nullo loco studium meum tuo honori deerit. — Favebo tuae dignitati (existimationi; honori) quibuscumque rebus potero. — In tua dignitate (ut tibi satisfaciam) omnia studia mea figam (locabo).

— Evidem vir co.nis es. — Vir commodis et suavissimis moribus. — Vir, in quo summa lenitas et humanitas est. — Summa est in te ingenii suavitas et elegantia. — In omni re lepores (lautitiam; elegantiam; venustatem) habes. — Urbanitate omnium animos tibi demereris (omnium benevolentiam concilias). — Proprio quodam naturae munere ad liberalitatem factus videris. — Totus ex humanitate con-

<sup>1</sup> Vero è, che come forma non s'accorda  
Molte fiate all'intenzion dell'arte,  
Per ch'a risponder la materia è sorda.

ditus vir (ad omnis humanitatis rationem factus fictusque) videris - Quidquid agis, cum elegantia agis. - Sic agis, ut gratiam ab omnibus ineas. - In omnes officium praestas (confers). - Vere humanitatem tu retines (foves). - Singulari humanitate praeditus es (excellis). - Nemo unquam humanitate magis abundavit. - Nemo est te aptior (comior; commodior). - Apud omnes constat tui animi inclinationem in omnes esse summam (maximam).

Nunquam putavi te inurbanum (parum urbanum; inhumanum; comitatis parum intelligentem; urbanitatem nescientem; urbanitatem parum scientem; exercendae humanitatis non peritum hominem).

— Quid opera mea opus est? — Numquid est quo opera mea tibi opus sit? — In quo meam requiris operam? — In quo nquare tibi operam possum? — In quo mea opera uti velis? — Ad quid operam meam interponis? — Ad quid consequendum mea opera sufficiat?

Quid pro tuo desiderio faciam? — Quid facto opus est? — Praescribe mihi quid factum opus. — Ad omnia operam meam tibi profiteor; an vero omnium rerum libertatem (potestatem) teneo (habeo)? — An libertas apud me est? ...

— Amo te de hac re... — Potesne ad istud me adiuvare, ut?... — Id, amabo, adiuvame. — Praebe mihi te adiutorem. — A te auxilium peto (opem imploro; adiumentum quaero). — Ad te (ad operam tuam) confugio, ut... — Te appello (imploro; invoco) ut...

Me subleva (erigas; fove; confirma; sustenta) in hac re. — Manum auxiliariam, (praesidiariam; subsidiariam) mihi praeve. — Mihi optuleris (adsis; subvenias; opem feras; succurras; praesto sis; praesens sis). — Ne mihi desis. — Auxilio (subsilio) mihi sis (venias). — Suppetias feras. — Opem porrigitas (tendas).

Laboranti mihi subsidio curras (occurras). — Ad opem periclitanti ferendam advoles.

A te deprecor (precibus contendeo), ut... — Preces tibi adhibeo de hac re. — Ad te manus tendo pro hac re. — Tibi supplex sum, ut... Quam suppliciter possum rogo, ut mihi subvenias in hac re. — Hoc in me, quaequo, confer gratiae, ut... — Singulari studio (enixe) a te peto, ut... — Quam possum studiosissime a te contendeo, ut... — A te maximopere (etiam atque etiam) postulo (peto quaequo) ut... — Sic a te peto, ut maiore studio, magisve ex animo petere non possim. — Precibus tecum ago quam possum diligentissimis, ut...

Obtestor (obsecro) te ut me in hac re non deserhas. — Ego te per tuam pietatem ac fidem oro et obtestor, ne me destitutum esse patiaris.

Id ego summi beneficii loco ponam (in loco beneficii tribuam; habebo; numerabo; ducam). — Hoc inter beneficia maxima referam. — Hoc apud me non vulgaris gratiae locum habebit (obtinebit). — Ita credam tulisse beneficium singulare. — Ita credam accepisse gratiam tantam, quanta esse potest maxima.

Adhibe erga me istud beneficium (hoc beneficium adhibeas). — Me hoc beneficio ornes (afficias; obstringas; obliges; complectaris; augeas; honestes; devincias). — Mihi bene (benigne) feceris (gratificatus fueris; commodaveris; munus praestiteris; beneficium tribueris), si... — Apud me beneficium posueris (collocaveris), si... — Benefice mecum egeris, si... — Benevolentiam (voluntatem) tuam erga me probaveris (ostenderis), si... — De me bene meritus fueris, si... — Me bonis et muneribus cumulaveris, si... — Tua erga me beneficia perpetuaveris (perennaveris; non intermisericis), si... — In me beneficia priora per novum hoc cumulabis (coagmentabis).

Beneficium apud gratum animum collocabis (pones). — Beneficium hoc perpetuo memoria tuebor (tenebo; custodiam; servabo). — Beneficii huius tui memoria aeterna vigebit. — Semper in animo et in mente

memoria huius beneficij exstabit (haerebit; permanebit). — Beneficii huius memoria ex animo nunquam delebitur (obruetur; obscurabitur; extinguetur).

De tuo beneficio Superi praemium (palam; pensionem; remunerationem; retributionem) pro meritis dabunt (reddent; tribuent; deferent; persolvent). — Labores tuos de hoc beneficio Superi compensabunt.

Magna sunt bene agentibus praemia a Superis proposita (constituta). — Eos omnes qui recte agunt merces amplissima manet. — Fructum certum recte factorum, vir optime, uberrimum ac praestantissimum feres (percipies; colliges). — Praeclarum honestamque vitam in ceterorum auxilium deditam res utilissimae consequentur. — Iis qui bonum colunt (excolunt) egregia praemia pro certo expectare licet.

Beneficio tuo respondebo. — Beneficio tuo per beneficium gratiam reddam (rependam). — Gratiae tuae satisfaciam. — Officiis, quum potero, compensabo (aequabo; remunerabo); culpa enim (infamia) grati animi careo (vaco). — Beneficia accepta, suo tempore solvam; vitii enim ingratitudinis expers sum (ab ingrati animi criminе longe absum). — Beneficiorum onere, vix datum fuerit, me levabo (laxabo; liberabo). — Probabo me beneficiorum memorem et gratum.

— Quid de te merui (commerui) ut me adiutorem quaeras? — Ad quid consequendum mea opera uti mavis? (me interponis; adhiberi poterit opera mea pro te?).

— Dicere non audeo. — Quid dicam non reperio. — Nullum verbum proloqui possum. — Lingua haeret. — Vox faucibus haeret. — Versatur mihi in labiis primoribus. — Iacent rationes. — Vocem rubor (dolor; metus, etc.) includit (interpellat). — Verba non suppeditunt (non suppeditant) mihi.

Breviter rem colligam. — Strictim (summatis) rem attingam (expediam; exponam;

perstringam). — Paucis rem comprehendam (absolvam; concludam; complectar). — In pauca omnem rem conferam. — Maxima brevitate utar. — Paucis (pauculis) te morabor.

Nolo tibi esse importunus (molestus; gravis; odiosus; incommodus). — Vereor ne tibi importunus interveniam. — Nolo te perturbare (obturbare; interpellare). — Nolo tibi incommodare (esse incommode; tibi obstrepere; molestiam exhibere). — Ne tibi importunitatem (perturbationem; turbamentum) in vexerim (induxerim; creaverim; paruerim; attulerim). — Dubito an tibi negotium facessam. — Timeo ne a tuis negotiis nimis abstraham (avellam; amoemam).

(*Ad proximum numerum*).

FORFEX.

## PRO JUNIORIBUS<sup>1</sup>

### III.

#### Sardinia Imperialis.

Republica vigente, Sardinia penitus Romana facta est, institutis nimirum, legibus, cultu atque humanitate, religione et lingua.<sup>2</sup> Aevo imperiali item pacata vixit inter provincias senatorias recensita; nullo enim bello, nulla sedatio amplius excitata, quietam duxit vitam, litteris, bonis artibus, agriculturae excolendis potius dedita.

Floruerunt tum in Sardinia insignes viri ac perillustres: Iulii Caesaris tempore Phamea claruit, eiusdem Caesaris fami-

<sup>1</sup> Cf. fasc. mens. Octobr. MCMXX.

<sup>2</sup> Lingua sardoa est penitus etiam nunc Latina: audis in oppido Bithi phrases huius modi: *Ave Maria, Gratia plena, Patres quaerimus, Sumus romani, etc.*; quod viri intelligentis non indignum studio est.

liaris, Attici et Coelii amicus: floruit M. Tigrinus Hermogenes, insignis musicus, qui dulciter cantabat; de eo pessime in satyra III, l. I, scripsit Horatius, eum carpebant; ast simultatibus poëtarum id adscribendum. Floruit Anicetus musicus per tibias canere doctus, qui a Nerone ex Urbe deiectus, in Sardinia, non inops, ut inquit Tacitus, diutissime vixit. Floruit Celsius iurisconsultus, testibus Tacito et Suetonio; et Constantinianus etiam strator insignis ad equos militares probandos in Sardinia vixit, Ammiano Marcellino referente.

Una cum litteris, opera quoque fabrilia in tota Sardinia floruerunt ab Imperatoribus Romanis excitata. Augustus enim viam latam, quae adhuc in Sardinia appetet, a Turri usque ad Karalim. magnis strata lapidibus exstruendam curavit; aliisque viis intersecta est, quae principaliores iungerent urbes, et oram totius insulae circumirent. Pontes, aqueductus, templae, amphitheatra, thermae aedificata sunt, quorum vestigia adhuc passim videre est in universa regione sardoa.

Romanum igitur Imperium Sardinienium animos excoluit, iterque aperuit ad Evangelicam legem suscipiendam, vel primis Ecclesiae saeculis. Nam Karalis, Sulcis, Nora, Tharros, Turris, Albia, Forum Traianum, vitam plane romanam degabant; et ad eas sedes confluabant cives omnes sive mercatus, sive officii, sive otii, et etiam exilii causa; ii omnes doctrinas, artes, opiniones late spärgebant, neque vel minimis lacescebantur molestiis. Ita Sardinia evasit simul et eruditorum, et expulsorum, et etiam latronum refugium. Sed plerique viri boni fuerunt; quod faustum felixque Sardiniensibus accidit!

Et revera, quadriennio p. Ch. n., Tiberius Caesar quattuor millia Iudeorum ex Urbe expulit et in Sardiniam exilio eiecit, de qua re nervose Tacitus (*Ann.*, l. 85): « Actum est de sacris Aegyptiis Iudaicis pellendis, factum Patrum consul-

tum ut quattuor millia *libertini generis* ex superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur coercendis illic latrocinis, et si ob gravitatem caeli interirent, vile damnum!...». Eodem anno Senatus Christianos omnes eliminari iussit, Eusebio et Suetonio auctoribus, quorum plerique in Sardiniam pulsi Evangelium disseminarunt.

Ad metalla damnati Sulcim, Iuliam (hodierna *Lula* apud *Nugoro*) aliasque metallorum sedes incoluerunt; quod comprobatur antiquis vestigiis fodinarum Romanarum arte atque ratione. Hi omnes liberati sunt, Commodo imperante, precibus Victorii Pontificis; quos inter Callistus Presbyter, postea ad Romanam Sedem evectus.

Maximino regnante, a. 233, Pontianus Papa, et Hippolytus Presbyter, exilio sunt deportati, Sereno et Quintiano Consulibus, ibique martyrio functi pro Christo iii Kal. Oct. Eius loco ordinatus est Antheros (x Kal. Dec.), qui, teste Honuphrio, in Sardinia vitam agebat monasticam. Pontianum autem B. Fabianus Pont. adduxit cum clero per navem, et sepelivit in coemeterio Callisti in via Appia; ita Duschesne et Hergenöther.

Quod si antiquissimae traditioni fidei praedicationis per BB. Petrum et Paulum, nuncium mittere volumus, certo certius Evangelium Christi primis Ecclesiae saeculis in Sardinia longe lateque diffusum est, nisi affirmemus, quod absonum et irrationale omnino est, fidei confessores, et Pontianum, et Hippolytum, et Antheron, prorsus mutos fuisse, neve Spiritus Sancti gratia ductos et animarum amore succensos, omnes Sardinienses Christianam Religionem docuisse. Adde martyrum sardorum ingentem numerum, qui pro Christi fide sanguinem fuderunt, quos inter Aemilianus, Priamus, Felix, Lucius, sub Nerone; Sallustius, Gabinus, Crispinus, Adriano imperante; Luxorius, Cyril-

Ius, Camerinus, Iusta, Iustina, Henedina, Antiochus, Sallustianus, Potitus, Gabinus, Proptus et Ianuarius, Restituta, Ananias; qui omnes primis quattuor Ecclesiae saeculis martyrio coronati sunt, et clari in caelum migrarunt. Mitto quae Iustinus, quae Tertullianus, quae Innocentius II ad Eugubinum Episcopum scripserunt de Apostolica Ecclesia; concludere equidem licet aut Christi fidem a BB. Petro et Paulo, quemadmodum traditio vult, aut ab immediatis successoribus praedicatam fuisse.

Exstincto Imperio Romano, Sardinia omnis latina et fuse christiana mansit; nec novae dominationes fidem, aut linguam Sardis ademerunt. Duxi: fuse christiana; nam Ilienses, Iustiniano Imperatore, ad fidem conversi sunt per Beatum Gregorium M., qui in Sardiniam misit Felicem Episcopum Portuensem et Cyriacum Presbyterum ad evangelizandos *lapidum cultores*. Res feliciter cessit. Nam Hospito, dux barbarorum christianam fidem amplexus est, et post eum omnes Ilienses. Quos itaque per saecula neque Carthago, neque Roma, neque Byzantium domuit, devicit caritas Christi brevissimo tempore, plausu atque oratu Imperatoris populi Sardiniensis, qui tanto benefactori, insigni Gregorio, aureum monumentum erigere debuisset.

Gregorius porro creavit Victorinum Episcopum Albiae et totius Barberiae, qui una cum Ianuario, Antistite Caralitano, idolatriam penitus deleret, et viam sterneret ad novas dioeceses atque paroecias condendas.

Et haec de Sardinia imperiali, et de diffusione Christianae Religionis nota fiant lectoribus *Almae Romae*, ne penitus iisdem maneat regio inexplorata, terra deserta et invia, quam nunquam obliti sunt Romani Pontifices, prout Historia recentissima claris. D. Filion luculentus demonstrat.

MAURUS SALE.

## ALOISIUS BIGNAMI

**Maior Syracusarum Antistes.**

Aloisius Bignami honesto genere Mediolani ortum habuit v kal. Quintil. MDCCCLXII. Pene puer, amissa matre, in patris consuetudine et sanctissima disciplina vixit. Annos XII natus, sacrae militiae nomen dedidit, et, studiorum curriculo probabiliter emenso, V. Id. Dec. an. MDCCCLXXXIV fuit sacerdotio initiatus. Sacras politioresque litteras apprime calluit; ingenii lumine et singulari pietatis studio in exemplum eluxit. Amplissimis munieribus sancte et nauter perfunctus, omnibus suam operam mire probavit. Sancti Laurentii Parochus renunciatus, caste, integre munus obivit; populum ad penitorem religionem instituit; recto iudicio rerum humanarum, eloquentiae robore et perpetua in pauperes largitate spectandus. Pio X Pont. Max. notus et pretiosus, Syracusana vacante sede, pro eo ut temporum difficultas ferebat, veluti huic Ecclesiae fortunandae divinitus datus Pastor affulxit, arrisit. Populo laetitia gestiente, sollemnibus caerimonias Mediolani ad Sancti Laurentii XIX. Kal. Feb. an. MCMVI Episcopus fuit inauguratus.

Patriae vale dicto, XVI Kalendas Octobris annis MCMVI Syracusensium summis a republica et a civitate magistratibus, primoribus civitatis, sacerdotibus universis et frequentissimo populo plaudentibus comitatus, S. Martiani sedem ascendit. Statim auxit praesentia famam; statim omnium oculos ad se convertit omniumque animos sibi devinxit. Ephebos in religionis spem succrescentes sanctiore disciplina instituit; Levitas uti pater adamavit, erexit, confirmavit. Omnes benigno alloquio excepti; sed nec facilitas auctoritatem, nec auctoritas ei unquam amorem deminuit. Nihil antiquius habuit quam domus

Dei supremum decus. In sacris aedibus S. Philippi Ap. et S. Martini in urbe, et Luciae Virginis in suburbanis, magnifica prostant sua munificentiae monumenta. Acerrimus antiquitatum vindex, huius templi, veterum superstitione Athenae excitati et a S. Zosimo Mariae Virginis a Pilerio consecrati, laquearia vetustate fatiscentia refecit, ingenuum columnarum vultum, albarii operis lorica deturpatum, revelavit, fenestras impia manu obcoecatas illustravit, et, quasi animam daturus saxis et mutis rebus, organum musicum adiunxit, regis opus. Gradus ad pronaum longo incedentium usu protritos et temporis morsibus obrosos expungendos curavit novosque sufficit ad subulam perfectos plautioresque. Cellam sanctae Mariae ad Nives ruinis sepultam eduxit, nova molitione restituit et cultui instauravit.

Mira eluxit erga egenos liberalitate: nullius infortunium a se alienum putavit. Grassantibus indici morbi et hispaniensis pestilentiis, sui securus nulloque periculo retardatus, Borromaeum gessit. Messinensis terraemotui eruptis, militibus in bello Europaeo pro Patria ab hostili patientia vindicanda vulneratis, uti cordis, ita et aedium episcopalium ostia patefecit. *Omnia in caritate* docuit gentilitia tessera: *Omnia in caritate* peregit, singulis vel minutulis suae vitae momentis.


Diutius gravi morbo iactatus, grandia dedit patientiae documenta. Hilari vultu adventantem mortem aspexit. Sanctissimis religionis ad iter aeternitatis ingrediendum viaticis recreatus et roboratus, Benedicti XV Ap. benedictione suffultus, in rerum caelestium contemplatione defixus, placidissimo exitu quievit vi kal. Ian. MCMXX, quum aetatis annum agearet LVII.

In urbano sepulcreto legis civilis imperio conditus, iv non. Ian. an. MCMXXI, frequenti civium advenarumque conventu, solemnis pompæ et magna florum pluvia

inundatus, cumulatus, praesepultus in templo Syracusanorum maximum fuit translatus.

Ave, Pater Sancte, ave, anima candissima; vale in pace, et nos e Superis identidem respice perpetuo tui desiderio tabescentes.

I. IMMORDINIUS.



## ANNALES

### Lutetiae Parisiorum novus coetus congregatus.

Qui eventus magis, superiore mense Ianuario, memorabilis evasit, fuit novus victorum popolorum conventus, qui Lutetiae Parisiorum habitus est, nonnullos vero post inductionis dies, ob renovatum in Gallia administratorum collegium. Cuius praefectura a Leygues ad Briandum translata est, eo praesertim mandato, ut Gallica iura ex Versaliensi foedere contra Germanos promanantia, acriter defenderet ac tueretur. Re quidem vera, si in novo hoc Parisiensi coetu concessum est, ut gravissima debita sua inter longum satis temporis spatium Germania sit persolutura, statutum tamen est vectigal seu foenus, quod Germania iuxta redintegrata cum exteris commercia rependere victoribus debeat; quod profecto novam, ut ita dicamus, capitis deminutionem novosque compedes ei impinget.

Consilia quoque copta sunt de tradendis a Germania armis et carbone, tum de Orientalibus quaestionibus, tum etiam de auxilio Austriacis praestando, qui inter inopiam omnium rerum acerrimamque ciborum caritatem versantur. Recognitae denique Baltica et Caucasica civitates.

### Graeciae discrimina.

Constantinus, Graecorum rex, nec a Parisiensi coetu rite fuit in honore habitus, quamvis, ut staret fideliter promissis, a Venizelos suo tempore factis, non levia discrimina passus sit ac patiatur. Quum enim in Anatolia provincia contra Turcas hostilia arma intulisset, fusa agmina sua vidit Smyrna autem a Graeca dominatione se subtrahere conatur, Thraciaque provincia ut sui iuris fiat atque libera, magna voce clamat.

\*\*

### Orientales res.

Una cum adversis hisce Graecorum fatis, peculiari mentione digna est societas in Oriente inita Bolshevicas inter et Kimalistarum factionem; et rebellio passim in India serpens contra Anglos, quae intervenit prius quam hi seditiones in Hibernia sedaverint, pacemque in agitata illa insula componere valuerint.

\*\*

### Novum Pontificiae sollicitudinis documentum.

Tristissimum Austriacorum statum superius adnotavimus; addemus hic ab eo non commoveri nequivisse paternum Benedicti PP. XV animum: qui ideo per litteras Purpurato Patri datas, qui est a Secretis Status, auctor fuit ut hic exterarum nationum apud Pontificem Romae legatos sollicitaret, ut quisque apud gubernium suum miserorum illorum patrocinium assumeret. Faxit Deus ut patris amor voti compos fiat!

Kalendas Februariis MCMXXI.

POPLICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Diurna passim his diebus **de singulari** cuiusdam Americani viri **testamento** passim retulerunt, qui scilicet ingentem pecuniae summam commentario cuidam ea conditione legavit, ut singulis diebus eiusdem exemplar ad eius sepulcrum deferretur. Addebat et electricum lychnum ad sepulcrum iussisse, qui praesto esset ferendae luci nescio cui ad commentarium legendum esset deputatus. Eventus equidem memorabilis est, in sese, non in rerum adjunctis, quae ex ore ad os, sive proprius a scripto ad scriptum translata, vitia de more forte sunt perpessa. Rei enim substantia haec est, tanto praeclarum illum virum erga carissimum sibi commentarium amore flagrasse, ut apud se et post mortem vellet. Pulcre! Bene! Recte! En ratio subnotationis nova ad commentaria sustinenda, quam administratori nostro, qui hisce praesertim temporibus heu! quam difficilibus ac tristibus - inter scopulos et saxa versatur, libenter propono. Quamquam iam scio huiusmodi consilium ab eo iri repudiatum; is enim cupit socios omnes validos fortunatosque ad aeum vivere, atque ita commentarii studiosos, ut comites indesinenter *Almae Romae* procurent in itinere adiungendos, qui multitudinem faciant; atque consociationis pretium ad regulam cum iis solvant. Ita commentarii etiam vita ad aeum servabitur.

Haec igitur sit *moralis philosophia*, quae ex Americani viri testamento deducere pro nobis liceat.

\*\*

Fidem promissis teneo, atque ludicrorum morum quos Iosephus Bernerius honestis carminibus posteritati tradidit, descriptionibus vulgandis do operam. Iam

dixi a me ea ratione distributa fore, ut tempori congruentia fierent: itaque primum erit **de Bacchanalium et Quadragesimae tempore**, quo quidem auctor id praesertim acri iudicio suo animadvertere voluit, Bacchanalium diebus quemque bene valere et in nugas sine ulla cura intendere; diebus vero Quadragesimalibus quam plures per opportunitatem aegrotare.

Quae vero Bacchanalia Bernerius describit, ea vix memoria novi homines nos tenemus, et a parentum nostrorum narratione praesertim accepta. Vidimus enim atque probavimus hinc etiam tempora in peius ruisse, quique soluti quidem at simplices neque dishonesti plerumque sese recreandi ac relaxandi mores exstiterunt, in illepidos, invenustos, inurbanosque sensim fuisse commutatos. Quis enim proximis hisce annis adire poterat Romanam viam illam, quae ex recto tramite suo *Cursus vulgo appellatur*, et ubi civium conventus de quo Bernerius scribit, esse solebat, quin galerum et vestes sordida atque perdita reportaret? Nec solummodo vestes! Saccharei enim illi globuli in gypso conversa fuerant, qui oculos maxime peterent!... Vetiti profecto a magistratibus ideo sunt, iisque chartacea frustula recens suffecta; quid inde? Sub umbra te detergendi, en canalicolarum chorus in te confert pedem, te circumdat, urget, percidit spadicibus, peniculis, manibus, atque .... vae tibi crumenaeque tuae!...

Sed et haec fert humanitatis, seu « progressus » aetas; audiāmus igitur Bernerium canentem; qui vero, si adhuc vive-ret, non de Nobilibus tantum, quae sub carminis finem reprehendit, adnotaret: Tempora vix redeunt, quae Baccho devovet

[aetas,

Cum datur assiduo nullo labore quies.

Qua populus solet ire frequens, simul atque

[redire,

Tramite qua recto cursibus apta via est.

Excurrunt cives, personataeque cohortes,

Quin est Nobilibus Plebs quoque mixta [viris.  
Ridiculo hic habitu indutus, vultuque facetus Partenopaei adhibet verba superba Ducis. Proponit dubia, et causant resoluta cachinnos; Scilicet hisce solet semper inesse lepor. Inde abit. Ut plaudat Populus, tunc sibilat ore, Imo quatit iunctas vociferando manus. Explicat hic librum, cui moles maxima: Iuris Doctor utriusque hic dicitur; itque celer. Dein circumducit latum in cervice galerum, Brachia utrinque movet, verbaque multipli- [plicat. Sunt quoque Magnates, qui aurigae munere [gaudent, Bini horum dextra quippe reguntur equi. Foeminae et illustres sunt magni pompa de- [coris, Quaeis personatis pergere posse licet. Visu digna quidem, cuique est pulcherrima [vestis, Ornamenta tegunt, sed speciosa, caput. Est quadriga patens utrinque, et parte su- [prema, Quae vulgo « caelum » dicitur, illa caret: Ire redire solent, et raro sistere, donec Lumine claudatur deficiente, dies. En quidam, cui pulcher equus, pretiosaque [vestis, Illustrem, ora notant, non bene tecta, virum. Hunc sequitur famulus, fert huius dextera [virgam, Hanc circum argenti lamina ducta tegit. Cistula dein fertur pompa non imparis: huius Argento est pariter tecta superficies. Haec globulos claudit, coopertos pulvere cir- [cum Sacchareo; haec pueris dulcia dona placent. Ergo circumdat puerorum coetus euntem, Ut quas ille iacit, colligat iste dapes. Cernit Eques forsitan socium, dextraque veretur, Et nutu pronus devovet obsequium. Inde manum globulis implet, quos impetu [facto Protinus adstantis vibrat in ore viri. Hic faciem avertit, dextraque tuetur ab ictu;

Et risu plaudit, gratus ut esse queat. Confestim accurrunt pueri, globulosque ca- [dentes Intenti exspectant, estque parata manus. Quisquis humi pronus dilapsos carpere certat, Et lucta implicitum foedat utrumque pedem. Non rapti terrent currus, non motus equo- [rum, Imo nihil, cum sint cuncta timenda, timent. Hic premit, hic premitur, rapit hic, sibi raptu- [vicissim Rixandique simul causa repente datur. Hic socium cervice quatit, dextra ille repellit, Alter in alterius quaeritat esse loco. Sic labor assiduus, reliquis spectacula diebus Gens renovat, cui sunt gaudia nulla satis. Vix Cinerum fert prima dies ieunia, - nempe Illecebris finis lege iubente datur -, En corrupta salus; iam morbo quisque gra- [vatur, Deficit in membris, qui fuit ante, vigor. An legem servent? Si forte ab hisce petatur, An sese nunc a carnibus abstineant, Absit, respondent, vulgo solum ista iubentur: Obstat Nobilitas, et nequit ista pati. Qui colla intorquent sanctorum et nomine [gaudent, Haec faciant, nobis nobiliora placent. Nos vocat ad lautas epulas speciosa iuventus, Aeternae senibus cura salutis erit. Nequaquam pisces, caro tantum est grata [palato, Et nostro in stomacho frigida temperies. Physicus admittit causam, quin vota petentis Implens, dat vetitas sumere posse dapes. Quo iure hoc fiat non Musae est dicere munus, Physicus haec agit, haec physicus ipse sciat. Ah scelus! Ah sordes! tum sedula corporis [ergo Cura homini? Ast animae sic inimica salus? Serviat ut nugis, labor ipse levissimus exstat; Serviat ut caelo, en ardua cuncta nimis. Proh dolor! aeternum quod durat, quilibet [odit; Inde amat et sequitur, quod velut umbra [fugit.

### locosa.

Ex iis quos Bernerius circa quadragesimale ieunium vehementer incusat, Tuccius ipse noster esse videtur; qui de argumen-to cum amico sermonem faciens, per virtutis simulationem:

— Atqui ego — inquit — per quadragesimales omnes dies rigidum durissimumque ieunium servo.

— Quomodo istud? Impossible enim mihi prorsus appetat.

— Papae! Pleno ore noctu vescor.

— In caupona.

Hospes festinanter ingressus:

— Eho, puer, quid frigidi habes?

— Pedes aedepol! Estque ita per integrum hiemem!

\* \*

### Aenigmata.

I

Quinque notas habeo; per saltus prataque [curro,

Cum strepitu volvens irrequietus aquas.

Cum prima mutat verbi nota tertia sedem?

Me fuge, nam pestem perniciemque fero.

II

Rustica tecta sumus pastoribus atque colonis; Infers si bipedem liquidam, miranda tueris.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Ara, Ira, Ora*; 2) *Vi-lis*.

IOSFOR.

### LIBRI DONO ACCEPTI

P. J. LOBERA, S. I., *Grammatica classicae latinitatis* ad Alvari institutiones doctrinamque recentiorum conformata scholis Hispanis, Americanis, Philippinis. — Barcinone excudebat Eugenius Subirana, Editor Pontificius, MCMXIX-MCMXX.

## LEO IV

## ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

## SCENA II.

*Per undas fluminis natantes ut piscatores  
ad ripam adpellunt, et sic secum colloquuntur  
CONSTANS cum SOCIIS.*

*CONSTANS in littore, conversus ad SOCIOS.*

*Heu! vos sollicite venite ad littora.*

*Vos iamdiu exspecto... Cur ita timidi?*

*(Ad socios propius accedentes)*

*En Urbs quae magnis affluit divitiis,*

*Et nostras acuit mentes desiderio ...*

*SOC. I.<sup>1</sup> Ut pulcra, dives ...*

*SOC. II. Pollens et palatiis ...*

*I. Olim si mundum est dominata gladio,  
Iacet nunc infelix per aegritudinem.*

*II. Et omnes provocat ad vindictam po-  
[pulos.]*

*CONST. Erit mox nostris occupata copiis.  
Adasset tempus, nobis deest animus!  
Venirent plures alacres ex Africa ...  
Nesciunt in mora magnum pericu-  
[lum.]*

*I. Sanguis si vigeret! ...*

*II. Adasset Annibal  
Romam captivam duceret Carthaginem;  
Quod verum, maximum excidium ci-  
[vium.]*

*CONST.<sup>2</sup> Adest sed almus Christianorum Pon-*

*[tifex,*

*Suos qui regit, qui tuetur fortiter!  
Hic unus possidet regis potentiam,  
Suosque cunctos gubernat iudicio.  
Hic unus urbem sustinet hanc prin-*

*[cipem;*

*Non armis equidem, multis sed pre-*

*[cibus.*

*Cives plerique res novas quaerant,  
Mihi se plurimi dederunt socios,*

*Res ut Romana restauretur denuo.  
Suos et Roma consules desiderat,  
Iugum Pontificis devitent dummodo!*

*I. Id ausus es?*

*CONST. Quin tentat amor patriae? ...  
Magis magisque videbitis in poste-*

*[rum.*

*III. Ipse servavit Urbem sed securius ...*

*CONST. Et Roma neverit quid ipse proderit!  
In aeum Romae pertransivit gloria.*

*I. Quid at moramur armis nos hic pau-*

*[lulum,*

*Et exspectamus?*

*CONST. Festina lente, puer!  
Nunc est cunctandum.*

*II. Fortassis surgent obices  
Novi per littus ... Frustra tunc spera-*

*[bimus*

*Redire in Urbem, devastare incendiis,  
Suosque ferre thesauros in Africam.  
Id, id, prae*ceteris*, optandum citius.*

*CONST. Scire praesumis quid tu, tiruncule?*

*I. Erat Carthago Romae olim fastidium;  
Et ut parentes nuntiant prolixius,  
Erant nostrae domus Romanis taedium,  
Eiusque ficus, quas ferebat regio,  
Erant venenum, maximum periculum.*

*II. Et ille Cato tetricus Carthagini,  
Quem potius *catum* dicam molossicum,  
« Delenda est protinus Carthago! »*

*[eiulat.*

*CONST. Nobis nunc Roma ficus iucundis-*

*[sima*

*Mox mox matura in manus nostras  
[cadet.*

*III. Silentium magnum!*

*(Ad proximum numerum).*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

<sup>1</sup> *Oculis circumspiciens.*

<sup>2</sup> *Ironice.*